



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Corona Avrea Svper Mithram Romani Pontificis**

**Raynaud, Théophile**

**Romae, 1647**

Punctum XII. Calumniosè Parisiensibus Theologis indiscriminatim impingi, vnius aut alterius, pruriginosi ingenij hac in parte abortionem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10481**

## PUNCTVM XII.

*Calumniosè Parisiensibus Theologis indiscriminatim  
impingi, & cuius aut alterius pruriginosi in-  
genij hac in parte abortionem.*

**C**ONSULTO, cum dixi Doctores Ca-  
tholicos omnes Paulum Petro subijce-  
re, nec eum pro Ecclesiæ capite habe-  
re, dimisi ferè Theologos Parisienses,  
vt de eis seorsim agerem. Nam etiam  
Aduersarius, integrum caput eis addi-  
xit <sup>a</sup>, hoc titulo præfixo. *Doctores Parisienses docent SS.  
Petrum & Paulum fuisse Apostolorum capita, & ad clauum  
Romane Ecclesiæ ambos sedisse, omnesq. Pontifices ad hanc  
diem, iisdem in ea ipsa S. de successisse. Quandoquidem  
Titulus iuxta Philippum Abbatem <sup>b</sup> dicitur quasi Titan,* <sup>b in mor. in  
Cant. sub iuit.  
c lib. 1. in Gen.  
d in præfat.  
variat.</sup>  
id quod etiam habet Rupertus <sup>c</sup> (meliùs Cassiodoro <sup>d</sup>,  
*totius orationis breuissima vox appellatur.*) cum primum  
in eum titulum incidi, Centurias, aut etiam Chiliadas  
Doctorum Parisiensium pro S. Paulo Ecclesiæ capite ex-  
hibitas, concepi animo, veritus ne quod sæpè audire,  
memini, & pluribus in oris increbuisse constat, longè  
communissimo Theologorum Parisiensium suffragio,  
communita videretur hæc de bicipiti Ecclesiæ nouitas,  
aliæuè nonnullæ ex iisdem fusæ ingenijs, quarum dam-  
natio est in ianuis. Subiui caput prædictum, & ad reces-  
sum vsque peruaſi, & pro centurijs chiliadibusque Do-  
ctorum, duos reperi; Ita planè; duos omnino, Gene-  
brardum, ac Feuardentium, qui quanta fide allegentur,  
mox subijciam.

2. Damnaui illicò, non iustum timorem meum, qui  
timuiffem vbi non erat timor. Nec tenuiter confirma-  
tus

tus sum in iudicio, quod pridem euulgavi, de eorum hallucinatione, qui pruriginis vnius, aut alterius ingenij cum omnibus Gallis Doctoribus, (quos inter eminent Parisienses) statuunt esse communes. Quasi non habuisset etiam Italia, habuisset Germania, habuisset Hispania, erroneas ac nugiuendos, quorum deliria, gentis vniuersæ Doctoribus nequaquam adscribuntur. Aut quasi excidisset animo, sapiens monitum Nazianzeni<sup>a</sup>, Chrystomi<sup>b</sup>, Isidori Pelusiota<sup>c</sup>, Theodoret<sup>d</sup>, ac quoad Ethnicos sapientes, Epicteti, Arriano referente. Indignum esse pronuntiant hi sapientes, cum quis ex Ordine quopiam aliquid admittit indignum (v.g. ex ordine Sacerdotum, aut ex Doctorum ordine) transfundere illic eam noxam in reliquos eiusdem Ordinis; & communiter omnibus propriam vnius labem illinere. Id ipsum meritissimè in plerisque hoc tempore agitatæ difficultatibus Theologicis expoſtularim, pro Parisiensibus Theologis, quibus à non paucis malè rerum conscijs, indifferenter tribui sæpè audio, quæ vni, aut alteri scabioso ingenio, cæteris neque cooperantibus, neque applaudentibus excidunt.

3 Non inficio, vt magna corpora suos plerumque nauos habent, nouandi impetiginem in paucis quibusdam è Theologorum Parisiensium corpore, huiusmodi iudiciorum nonnullam causam præbuisse. Ex quo enim contigit, ingenia quædam velamen habentia malitiæ libertatem, eò prorumpere, vt specie insistendi antiquæ traditioni, per ipsos (scilicet) solos, nunc primùm per assiduam veterum Scriptorum peruolutionem deprehensæ, omnia ad captus sui, atque iudicij amissim dirigere tentarint; auditæ in Gallia sunt sententiæ, nec sine turbinibus iactatæ, quas certum est ferri non posse. Quis enim valentissimus licet stomachus concoquat ea cruda placita, *Voluntarium & liberum, idem esse. Nullam*

davi

a orat. 74.

b homil. 4. de

vision. Esaiæ.

c lib. 2. ep. 53.

d lib. 3. ep. 242.

e lib. 12. con-

tra Gr.

f lib. 4. Arria.

cap. 8.

dari gratiam sufficientem. Deum ex se ipso velle, aliquos perire. Christum non esse mortuum pro reprobis, non modo quoad efficaciam, sed etiam quoad sufficientiam. Exprompsi circa alia quædam, sed notanda & suffigenda huiusmodi Nouitatum capita, sensum meum in Antemurali prestructo Historiolæ S. Ioannis Benedicti. Vnde tantum cordolium vnus cuiusdam, digni potius, qui Synagogæ Libertinorum, quàm cætui Lectissimorum Doctorum accenseatur, vt solita conuiciandi prodigalitate, opellam illam meam prosciderit. Hunc & perpaucos eiusmodi, visos fateor occasione dare rudibus rerum Parisiensium, existimandi, Theologos Parisienses indiscriminatim, aut maxima saltem ex parte, improbatis passim alibi, & re ipsa vbilibet improbari dignissimis, Theologicis placitis inharere. Inter quæ occupat non postremum locum, hoc quod excutimus de S. Paulo Ecclesiæ capite, & bicipiti mystico Christi corpore. Et fortè accessit temporum iniquitas, qua gens in gentem mota, & regnum in regnum, procliue est, vt feratur in dehonestationem nationis vniuersæ à qua dissidet, aut eorum, qui in illa micant splendidiùs: cuiusmodi certè quoad sacram doctrinam sunt inter Gallos, facultatis Parisiensis Theologicæ Doctores, & antiquitate Academiae, & Doctorum insignium ijs pridem conscriptorum vbertate peruenerabiles.

4. Quacunque verò demum ex causa, cis Alpes, aut trans Pyræneos, hæc de Theologis Parisiensibus persuasio increbuerit, quoad biceps Ecclesiæ corpus, dedocendi sunt errorem, qui eo laborant. Tantum enim abest, vt hæc bicipitis Ecclesiæ corporis monstrositas, pridem ab Hæreticis iactata, recens verò Parisijs ab vno, qui ater albusne sit ignoratur, clandestinè proposita, arriserit indiscriminatim Parisiēsis Theologis, vt potius ne vnus quidem bonæ famæ Doctor, proferri possit ex nomine,

A a qui

qui ei sit astipulatus. Consultò dico *bonæ fame, & qui ex nomine designari possit.* Quia Anonymus cum quo ago, tametsi in speciem saltem, Catholicus habetur, & colore maiestatem Romanæ Ecclesiæ amplificandi, obduxerit huius nouitatis inuectionem, tamen multiplici aliarum macularum circa doctrinam nõ sanam infamia flagrat: id quod superuentura dies, reuelatura censeatur: & tanquam lucifuga cognosci ex nomine noluit, deligens sub sipario latens, tētare si hæc clancularia Pontificiæ Maiestatis suffossio, ex voto cederet. Sciens dico, & postea planum faciam <sup>a</sup>, latere in hac herba anguem. At digni Parisiensis laureæ decore omnino multi, aut etiam ferè omnes, palam & publicè sua sensa efferre non erubescūt, & Catholicæ doctrinæ hodièque adhærent constantissimè, conclamantque in hanc nouitatem; sanctè æmulati maiores suos, eximios eiusdem facultatis Theologicæ Magistros, qui pridem explicatissimè tradiderunt veritatem Catholicam pro qua satago. Nam quod Genebrardus & Feuarentius, dicuntur nouitati contrariæ adstipulati, & repelli posset, reponendo, quid duo inter alios tantos? Et meliùs repellitur, negando viros illos & scriptis & factis insignes, eiusmodi somnia somniasse.

5. Genebrardus sanè idcirco allegatur ab Aduersario, in sui falsiloquij testem, quia in Opere de restituendis sacris electionibus per Clerum, & nominationibus Regijs excludendis, dixit, S. Clementem fuisse SS. Petri & Pauli discipulum, ac successorem; & sperare se, Clementem VIII. Clementis illius & Petri ac Pauli successorem instauraturum, quæ post Clémentem I. conciderant. Non plura ibi, aut alibi pro S. Paulo Ecclesiæ capite Genebrardus. Quomodo autem ea ad SS. Petrum & Paulum successio, accipienda sit, cum distributione accommodata, vt scilicet ad vnius potestatem, ad alterius studia successisse dicatur Clemens, sæpè sæpiùs dictum est.

Reue-

a. infra punctum  
15.

Reuera porro hunc fuisse Genebrardi sensum, nec venisse ei in mentem primatum S. Pauli, & exæquationem cum Petro, manifestum est ex Opere eius Chronographico, vbi circa annum à Christo 32. describens ex instituto Itinerarium S. Petri, & Romanam commorationem, inibique gesta longè ante S. Pauli eodem aduentum, sic habet. [Petrus Paulo Apostolo maior, ex Theophilacto ad Galat. 1. Sanctorum Apostolorum Dux ὁ τῶν ἁγίων Ἀποστόλων ἡγούμενος Πέτρος ex Cyrillo hom. 8. ἐν ταῖς ἑορτασικαῖς ἡμερίαις. Discipulorum vertex (principalis) τῶν μαθητῶν κορυφαῖος. Ex Dionysio Eccl. Hierarch. cap. 5. κορυφαῖος τῶν Ἀποστόλων ex Epiphanio in Anchorato. Apostolorum Pontificumque Præsul, ex Marcellino Comite sub finem Chronici. Apostolorum primus ex Augustino lib. 1. contra Iulianum cap. 2. Primum vniuersale membrum. Paulus autem, Ioannes, Andreas singularum plebium capita, ex Gregorio lib. 1. Epist. 38. Apostolorum caput ex Optato lib. 2.] Hæc omnia ibi, de Petri solius primatu, etiam supra Paulum Genebrardus. Et audet Aduersarius, in tanta luce cæcutire, & verbulum vnum obtortum, ex loco vbi doctissimus ille, & Catholicissimus Antistes, omnia alia agebat, obtrudere ad persuadendum, fuisse S. Paulum caput Ecclesiæ ex mente Genebrardi?

6 Allegabat præterea Aduersarius pro sua nouitate Feuarentium ad lib. 3. Beati Irenæi <sup>a cap. 3. nu. 8.</sup>, quia retulit verba eiusdem S. Patris, asserentis Ecclesiam Romanam conferuare traditionem viua voce acceptam a SS. Apostolis adhuc clauum eius regentibus: quorum præ cæteris Apostolis tam sunt eximia charismata, tam singulares dotes, tam magni in mystica hac nauis fabricanda labores, quorum inquam conuersatione, voce & institutis, velut sacris anchoris, inter tot fluctus & aliarum Ecclesiarum ruinas, Romana tuta saluaque hætenus

permanferit. [ Ex his Feuardentij verbis , infert Aduerfarius, liquidò conftare de S. Paulo Ecclefie capite, æquè ac S. Petro . Et verò ex Feuardentij mente in verbis illis abdita, horum Apoftolorum vterque longè magis quàm aliquis posteriorum Pontificum fuit caput Ecclefie. Neque enim hi quantumuis probè iam vita functi, fuffinent & fulciunt Ecclefiam ad finem vsque sæculi, fed id proprium eft SS. Petri & Pauli , tanquam fupra omnes posteriores Romanos Pontifices euectorum , quippè Patrum & authorum Romanæ Sedis .

7 Hæc Aduerfarij illatio, poteft fufpicionem mouere, non agnofci ab eo prorfus eandem poteftatis Pontificiæ plenitudinem in posterioribus Pontificibus Romanis , quæ fuit in S. Petro : quod docere , forderet errore. Quamuis enim verum fit , S. Petrum , post mortem eo potentiùs firmare interceffionibus fuis Ecclefiam Romanam , quo apud Deum eft acceptior : tamen ex quo coelo post mortem eft illatus , non gubernat immediatè Ecclefiam , vt Aduerfarius ex fuo Claudio Taurinenfi <sup>a apud Dur-</sup> potuit difcere. Totam autem poteftatem quam viuens à Chrifto acceperat , transfudit in fucceffores . Sicut hi cum sanctè moriuntur , poffunt è coelis pro rata gratiæ qua apud Deum pollent, fuffragijs fuis munire ac firmare Ecclefiam : tota autem poteftate Pontificia qua hic potiebantur , fe exuunt, eamque à fucceffore potiundam relinquunt, plenam & imminutam. Viderit ergo Aduerfarius, quæ myfteria verbis illis Feuardentij inædificarit, circa SS. Apoftolorum vita iam functorum officia in Ecclefiam .

8 At quod ex iisdem verbis eruit , de Feuardentij mente S. Paulum fuiffe Petro æqualem , & vna cum eo caput Ecclefie , viderit ipfe quomodo confirmet . Nihil enim tale ex fua mente habet Feuardentius : & vnum verbulum , quod ex S. Irenæo interferit , fatis fuperque

est

est expeditum. Cœteroquin suppetunt ex Feuarden-  
tio, quæ germanæ eius sententiæ attestentur. Extat eius  
Commentarius in vtramque B. Petri Epistolam. Vtro-  
bique tam luculenter ac splendidè, folius B. Petri prima-  
tum tradit, eumque omnibus Apostolis, Paulo non ex-  
cluso præfuisse confirmat, vt non possit fortiùs apertiùs-  
que ea Catholica veritas proponi. Nominatimque ad  
titulum posterioris Epistolæ, etiam ex Caluino, supre-  
mam S. Petri solus præfecturam demonstrat, & D. Pau-  
lum quamuis de coelo edoctum ad Petri cortynam ne  
in vacuum curreret, & apud alios fide vacaret eius præ-  
dicatio, confugere adactum, extendit. En qua fide Ad-  
uersarius, pro S. Pauli primatu & coæquatione cum Pe-  
tro, adducit Feuardenrium. Oportuerat reconditos ali-  
quos authores, qui consuli non possent, & reuinci falsi-  
tatis eorum infidelis allegatio, producere testes nouæ  
doctrinæ.

9 Non habuit Aduersarius è tot Doctorum Parisien-  
sium millibus, quot claruerunt ab anno Christi circiter  
oçtingentesimo, quo ipse vult institutam Parisiensem  
Academiã, quem allegaret pro sua nouitate, præter  
hos duos Recentiores, & quem laudibus cumulat, ac  
inter institutores Parisiensis Academiæ reponit, Clau-  
dium Taurinensem. Quanti esse debeat hoc Academiæ  
decus, intelligitur ex supra annotatis, de foedis hæresi-  
bus huius Claudij, deque Romani Pontificis Paschalis  
aduersùs eum concitatione ob eam causam, vt ex Iona  
Aurelianensi, & Dungalo retuli. Itaque Aduersarius si  
honoris matris Academiarum consultum voluisset, præ-  
terisset propudiosum hunc authorem, ac fundatorem,  
è quatuor vt volunt, (nam negat, & meo iudicio rectè,  
Henricus Canisius<sup>a</sup>) è Bedæ disciplina eductis, euoca-  
tisque ex Anglia in Galliam. Nam quamuis id tradat  
Paulus Æmilius sub finem vitæ Caroli Magni, constitu-  
tam

<sup>a</sup> ad 23. Alen:  
si Epistolam.



a lib. 1. c. 72.

b cap. 1.

tam primùm à Carolo Academiam describens, & fauēt, quæ ex eius Decretis referuntur in Capitularibus<sup>a</sup> de quo item alia videre est apud Claudium Hemeraum in opere de Academia Parisiensi qualis primùm fuit in insula, & Episcoporum scholis<sup>b</sup>. Tamen res est satis obscura; nec de Academia à Carolo vel institutæ, vel restitutæ primis authoribus, satis liquet. Et vt liqueret, præstiterat, probrosus hominem, nec nisi bonorum detestatione dignissimum, præterire, vel non nisi quæ solent eiusmodi homines, cautione referre. Tantum abest, vt quod fecit integro capite Aduersarius, debuerit ab eius authoritate præsidium peti nouitati quàm excutimus.

10 Quando igitur nõ habuit Aduersarius, quos è Parisiensi Academia suffragatores appenderet, age ex immenso numero Doctorum eiusdem Academiae, feligamus nonnullos, quos pro solius S. Petri primatu steterit sit extra dubium. Alcuinus, cui potius quàm Claudio Taurinensi, decus institutæ Parisiensis Academiae tributum velim, varijs Epistolis, vt in tertia, quæ est ad Dauidem Regem (quo nomine designat Carolum Magnum, sicut nomine Salomonis, Ludouicum eius filium:) & in 27. quæ est ad Leonem III. Papam, ac in 28. quæ est ad Adrianum I. Soli B. Petro Apostolorum Principi commissam vniuersam Ecclesiam agnoscit, & Apostolicam sublimitatem (sic appellat Romanum Pontificem) inter tres personas in mundo altissimas, recenset primo loco, eò quod B. Petri Apostolorum Principis sedem teneat. Quo item nomine, supremam Romani Pontificis in Ecclesia authoritatem, exclusa cuiusuis pari potestate, commendat. Similia iterat Epist. 34. quæ est ad Petrum Mediolanensem Archiepiscopum.

11 Petrus Lombardus, Scholasticæ Theologiæ primus inter Latinos (Ioannis Damasceni inter Græcos imitatione) ordinator; inter Parisienses Doctores micuit.

Eius

Eius sententia de Paulo infra Petrum locato, apertissimè legitur in expositione capitis secundi ad Galatas, cum agit de humilitate S. Petri, qui sustinuit ab inferiore corripri: exemplum (vt ait) quibusuis Pastoribus præbens. vt non dedignentur sicubi à recto deflectūt, etiam à posterioribus, siue inferioribus corrigi.

S. Thomas Aquinas, qui item Parisiensis Doctor fuit, binis locis supra annotatis, disertè & citra ambiguitatem omnem, S. Paulum subijcit S. Petro, vt subditum. Et addenda sunt, quæ agens aduersus errores Græcorum ex S. Cyrillo refert, & approbat<sup>a</sup>, de commissa soli Petro, <sup>opusc. 11.</sup> & nulli alij, plena in vniuersalem Ecclesiam potestate.

12. Ioannes Charlierius, à natali solo dictus *Gerson*, vir sua ætate, & pietatis & doctrinæ laudè clarissimus, disertè in hoc negotio est contra Aduersarium. Possem ex eo proferre benè multas; sed vnus, aut alter locus sufficiet. Sermone de Circumcisione Domini habito coram Papa, Tarascone<sup>b</sup>, ait S. Petrum fuisse Papam, Sanctum <sup>pan. 10.</sup> verò Paulum fuisse S. Petri Cardinalè. Et multo adhuc depressius locat S. Paulum præ S. Petro, Tractatu de appellatione à iudicio Papæ, vbi S. Petrum agnoscit fuisse summum Pontificem, Sanctum verò Paulum ait fuisse eius Theologum; cui in officio Prædicationis successerint posteriores Theologi. Ex his diiudicandum relinquo, an Gerson censuerit S. Paulum esse æqualem Petro in Ecclesiæ regimine. Idem serm. de SS. Petro & Pauloc, <sup>pan. 60.</sup> agens primùm de S. Petri laudibus, extollit [ Excellentiæ suæ dignitatis & prælaturæ, in hoc quod Deus constituit eum Magistrum, & Principem vniuersalis suæ Ecclesiæ, non eo quod omnes alij, siue Apostoli essent, siue discipuli, imò & Domina nostra illi subdebantur, habuitque summam authoritatem claudendi & aperiendi paradisum. ] In consequentibus, prælongum elogium contexit S. Paulo, à sapientia & perpeffionibus, ac miraculis:

lis: de Pontificatu autem, qui maximè memorandus  
fuiſſet, ne verbum quidem .

13 Ioannes de Turrecremata natione Hispanus, ſed  
Doctor Pariſienſis, vt ſcribit Ciaconius agens de eius pro-  
motione in Cardinalem, Theologus fuit in Baſileenſi &  
Florentino Concilio clariffimus, ſcriptis verè illuſtriſſi-  
mus. Tàm clarè verò; tamque explicatè tradit, quod in-  
tendimus, vt non potuerit explicatiùs & clariùs. In ſum-  
ma itaque de Eccleſia lib. 2. c. 13. diſcutiens argumen-  
tum quoddam aduerſùs primatum S. Petri, ductum ex  
cap. 2. ad Galat. vbi S. Paulus negat, primores Eccleſiæ,  
ac in ijs S. Petrum, quicquam ſibi contuliſſe, aliaque ha-  
bet ſuam cum Petro æquiparationem præferentia; re-  
ſpondet Turrecremata, Paulum quidem nihil accepſiſſe  
à Petro; quoad inſtructionem & doctrinam fidei, quæ  
Paulo à Domino infuſa fuerat; fuiſſe item Paulum im-  
mediatè à Chriſto electum, æquè ac Petrum. [ Non au-  
tem dictus eſt Paulus, par Petro in poteſtate Iuriſdictio-  
nis; quoniam non latebat ipſum Paulum, Petrum eſſe  
caput Eccleſiæ; vnde eum vocat *Cephas*, quod *Caput* ſe-  
cundùm linguam Græcam ſonat, vt dicit B. Iſidorus.  
Cœterum licet Paulus non immediatè à Petro Apoſto-  
latus officium ſuſceperit, ſicut nec alij Apoſtoli, ſed à  
Chriſto immediatè, non ſequitur, quod B. Petrus, non  
fuerit Pauli, ſicut & aliorum Apoſtolorum princeps &  
prælatuſ. Sicut enim ſuperiùs in capite præcedenti dixi-  
mus, licet poteſtatem Chriſtus reliquis Apoſtoliſ contu-  
lerit, in ordine tamen ad Petrum contulit eis, cui primò  
ſingulariter ait, *Tibi dabo claues regni cælorum*. ] Hæc &  
alia ibi in eam rem Turrecremata, addens cum Nico-  
lao Gortam, quæcunq; apud Paulum ſonant eius æqua-  
litate cum Petro, accipienda eſſe de paritate quoad  
munuſ prædicationiſ, non autem quoad officiuſ præ-  
lationiſ; & de paritate quoad poteſtatem ordinis, non  
au-

autem quoad potestatem iurisdictionis.

14 Remundus Rufus ( est ipse quoque Parisiensis Doctor supra Iurisperitum quanquam id maxime agebat ) Theologus, egregio opere aduersus Carolum Molinæum pro defensione dignitatis Pontificiæ à Molinæo, tunc Hæretico impetitæ, disertè agnoscit, S. Paulum non fuisse autoritate æqualem S. Petro, sed fuisse eius subditum : & quod aliquando collega S. Petri dictus est, accuratè exponit, non esse intelligendum de æqualitate quoad potestatem, sed de societate laborum in Euangelij disseminatione, & mortalium aggregatione ad Christum. Ait quidem Remundus, vtrique Apostolo succedere Romanos Pontifices, & per vtrumque coaluisse in vnâ Sedem Romanam Iudæorum, ac gentium Principatum. Sed hoc dicit tantum ex suppositione non concessa, quod vterque Apostolus suam Præfecturam haberet separatam, Petrus Iudæorum, Paulus gentium. Absolutè autem, & ex sua mente agendo, neque eas præfecturas separatas cuique horum Apostolorum assignatas agnoscit, neque admittit Paulū esse Petro æqualem, sed planè statuit esse subditum S. Petro.

15 Recentioribus eiusdem Parisiënsis Academiæ Magistris, pro S. Petro, solo supremo dum vixit Ecclesiæ Rectore certantibus, abundamus; & quidem viris insignibus, & omni elogio superioribus; Philippo Gammachæo, Andrea Duuallio, Nicolao Coëffeteau, Michaele Mauclero, ac vt alios omnino multos reticeamus, visæ mihi hîc Romæ sunt, de hoc argumento duorum eximiorum Parisiensium Scriptorum lucubrationes Caroli Francisci d'Abra, de Raconis, Vaurensum Episcopi, & Isaaci Haberti, Episcopi Vabrensis. Vterque doctrinæ & flagrantis pro Dei Ecclesiæ zeli laudem, quam anterioribus scriptiõibus compararat, ea scriptiõne cumulauit. Ex lectiõne verò libri damnati, agnoui virum de Theologia

Scholastica optimè meritum, Dominum Petrum à S. Ioseph, cum alijs egregij Scriptoris dotibus optimè instructum, tum scriptionis pelluciditate vitro splendidiore singularem; in hoc ipso argumento stylum exercuisse. Sed quod illud eius opus ad manus meas non peruenerit, illius lectione (quod auide fecissem) frui non licuit.

16. Quid verò capitatim appendo Doctores Parisienses, cum possint omnes simul, & in coetum adunati, huc aduocari? Extat Censura proximè superioribus annis à facultate Theologica Parisiensi lata, contra Marcum, Antonium de Dominis; quæ in biceps Ecclesiæ corpus æquè intorquetur. Hæc erat propositio prima Marci Antonij de Dominis ex lib. 1. de Repub. Eccles. cap. 2. nu. 18. [ Disparitas potestatis inter Apostolos, est humanum inuentum; in sacris Euangelijs, & diuini noui testamenti scripturis minimè subsistens. ] Censura facultatis Parisiensis de ea propositione, hæc fuit. [ Hæc propositio est hæretica & schismatica, de iurisdictione Apostolica ordinaria, quæ in solo S. Petro subsistebat, intellecta. ] Altera propositio Marci Antonij de Dominis ex lib. 4. c. 6. eiusdem operis, hæc erat. [ Petrus non habuit quicquam peculiare, in quo ei dari debeat, magis quàm coeteris simul omnibus, successio. ] Hanc propositionem sic suffixit facultas. [ Hæc propositio est hæretica, schismatica, & Hierarchici ordinis perturbatiua. ]

17. Ex his manifestissimè habetur, cadere in Doctores Parisienses eo nomine dignos, decus quod Sanctis Apostolis tribuit Faustus Apolloniadis Episcopus, scribens ad Petrum Fullonem. [ Scis, Apostolos non fuisse præceptores in nouitate? ] Liqueat, inquam, similiter Doctores Parisienses non esse Præceptores tradentes noua, quod tanto studio cautum volebat Vincētius Lyrinensis. Ac proindè vnus, aut alter ex eo coetu, à coeteris palam improbat, non plus suum dedecus affricant alijs, quàm

quàm Iudas scelus suum Apostolis collegis : vel quàm Lucifer Michaeli & Sāctis Angelis, cum quibus in vnum coetum aliquando coaluit.

P V N C T V M X I I I .

*Salus ex inimicis ; ab Ethnicorum & aliorum quorundam Ecclesiae hostium testimonio de S. Pauli ad S. Petrum subiectione.*

**N**ON leue Catholicae doctrinae munimen existimare soleo, quod ex hostium eius testificatione desumitur. Sic demonstrare memini tractans iustam confixionem librorum, etiam Luciani ac Celsi Epicuræi, & aliorum quorundam Ethnicorum scriptiones, quibus nostros ritus, aut sensa deriserunt, non parum commodasse Ecclesiae, in firmandis veris dogmatibus. V. g. apud Lucianum ridetur mysterium Trinitatis, & cultus sanctarum imaginum. Ethnicus apud Minutium, in simulat idololatriæ impensæ Sacerdoti, procubitum fidelium ad eius genua, inter confitendum. Ibidem, & apud Tertullianum, atque Athenagoram, obijeitur Christianis pabulum ex carnibus infantis farre contectis quæ est perspicua veritatis Catholicae confirmatio. Neque enim hisanniones irridebant, nisi quod apud Christianos receptum nouerant. Sic gloriose Satan suismet armis prostermitur. Nam vt est apud Eucherium <sup>2</sup>. [Validis absc- <sup>a homil. 2. de pasch.</sup> que dubio nititur priuilegijs, qui causam de Aduersarij afferit instrumentis, Speciosa victoria est, contrariam partem chartulis suis, velat proprijs laqueis irretire, &